



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1720

Quæst. 52. Qualiter obligentur, qui pro aliis sponsalia promittunt.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73973)

damna. Quæ tamen distinctio non placet Gutt. l. c. c. 1. n. 10. Coninck. l. c. d. 1. circa finem. Pont. l. c. Castrop. cit. p. 7. n. 6. sed putant adhuc gravem committi injuriam & injuriam inferri sponsæ per fornicationem sponsi ex eo, quod fornicatio tam sponsi quam sponsæ præstat parti innocenti sufficientem causam solvendi sponsalia, & delinquentem repudiandi. c. quemadmodum, de jurejur. dissolutio autem sponsalium & delinquentis repudiatio sit grave quid, & repudiato graviter nocivum, adeoque supponit gravem injuriam, ex qua oritur. Item quodd ex illa fornicatione sponsi nasci possit proles sumptibus sponsæ alenda non sine gravi præjudicio sponsæ. Ac denique, quod per hoc detur sponsæ causa gravis tristitiæ, dum videt aliam fœminam plus diligi à sponso, & justè timere potest, ne sponso idem faciat contracto matrimonio. Porro licet dicta fornicatio sit contra justitiam, non habet tamen rationem adulterii, ut Castrop. num. 8. Sanch. l. 1. d. 2. num. 2. Gutt. n. 16. cum communi. Adulterium siquidem est alieni tori violatio. L. inter. §. 1. ff. ad Leg. Jul. de adult. at dum corpus sponso promissum, necdum tamen traditum est, non est torum illius, siquidem eo uti non potest; ergo usus, quò alius utitur illo, non est violatio tori alieni. Item adulterium cit. L. inter. definitur, quòd sit accessus ad nuptam, sponsa autem de futuro non est adhuc nupta, ergo accessus ad eam non est accessus ad nuptam.

Quæst. 51. Quando nam obligatio sponsalium exequenda.

R Esp. Dum terminus certus non est præfixus executioni (is enim aliàs servandus est, nisi statuatur aliud lege vel sponso mutuo & legitimo consensu facta illius prorogatio) non statim, data tamen opportunitate, obligationem dandam executioni, sed tunc quando pars contrahens requisierit, docent Sanch. l. 1. d. 28. num. 2. Gutt. de mat. c. 15. num. 5. juxta generale principium, quòd debitor obligatus non sit solvere debitum, nisi requisitum, dum terminus præfixus non est; eò quod debitor non exigens debitum tacitè dilationi consentiat; secus sit, si ob nimiam verecundiam, reverentiam, debiti ignorantiam, vel alterius inconvenientis timorem omittit exigere, uti sæpe in sponsalibus ex parte fœminarum contingit, quæ, etsi maximè appetant sponsalia perfici, petere tamen non audent ob naturalem pudorem, vel ob sponso timorem, ne tacto affectu desistant. E contra tenet Castrop. num. 2. citans pro hoc Pont. l. c. c. 6. num. 1. Con. l. c. Bartolom. Ledesm. de matrim. du. 13. sub initium, teneri sponso sponsalia absoluta & pura exequi ab ea die, qua contracta, seu quamprimum opportunè fieri potest; Arg. L. in omnibus obligat. ff. de reg. jur. ubi: in omnibus obligationibus, in quibus dies non ponitur, præsentie die debetur; & L. cum qui. ff. de V. O. ubi: quod sine termino debetur, statim debetur. Secus est in mutuo & precario, quæ non statim, ac contrahuntur, debent reddi, sed arbitrio prudentis; cum aliàs nullius essent utilitatis. Facetur tamen Castrop. regulariter loquendo aliquem à sponsalibus, alteriusve debiti solutione debitorem excusatum esse creditore non exigente; quia creditur tacitè consentire dilationi, nisi omittat exigere ob gravem verecundiam & metum reveren-

tialem &c. Sed dicit, hanc excusationem esse per accidens; quia debitum, excepto precario & mutuo, per se debeat à die, quò contractum est.

Quæst. 52. Qualiter obligentur, qui pro aliis sponsalia promittunt.

R Esp. Tametsi promissio purè alieni facti propriè & in rigore sit nulla, adeoque nullam inducat obligationem, utpote de re, quæ sub promittentis dominio & potestate non est. Tametsi etiam jure communi (intellige civili) sit nulla; quia accipitur pro ut verba sonant; Jure tamen Canonico promissio facti alieni (adeoque & matrimonii contrahendi à Titio) valida est & firma, non quatenus est facti alieni, sed quatenus facti proprii; sonus enim verborum est facti alieni, sed sensus est facti proprii. Siquidem promittens factum alienum, non ipsum, sed curam & diligentiam, ut efficiatur, promittit. Castrop. l. c. p. 5. num. 3. Molin. tr. 2. d. 258. Sanch. l. 1. d. 24. num. 2. &c. hinc promittens Titio filiam suam in matrimonium, eo hanc promissionem acceptante, obligatus est serriò ac diligenter procurare filia consensum, nec sufficit fictè ac simulatè eam procurare, cum ea non sit procuratio, sed procurationis simulatio. Castrop. l. c. Sanch. num. 12. Gutt. de mat. c. 14. num. 5. Quòd si tamen promissioni facti alieni, scilicet matrimonii (idem est de sponsalibus) à tertio contrahendi pœna adjecta est, eam solvere non est obligatus promittens effectu non secuto, si diligentiam debitam, ut sequeretur, adhibuit; non enim justum est, penà affici, qui nullius culpæ reus est. Molin. d. 268. Gutt. num. 6. Sanch. l. 1. d. 25. num. 3. Castrop. num. 4. Secus tamen est, casu quo promissor intenderit se ad solutionem pœnæ obligare effectu non secuto, tametsi omnem diligentiam adhibuerit; quia tunc tenetur ad solutionem, non quatenus pœna est, sed quatenus est facti alieni compensatio. Castrop. num. 5. citatis Maran, in 99. pract. 9. 7. num. 23. Covar. de pactis. p. 2. §. 5. num. 5. Sanch. num. 6. Gutt. num. 8. Quemadmodum etiam promittens fraudulenter, nimirum sciens aut scire debens factum alienum eventurum non esse, obligatus est estimationem rei promissæ solvere, quia promissarium decipit. Molin. Castrop. LL. cit. Sanch. num. 5. Gutt. num. 7.

Quæst. 53. Qualiter compellendus, qui renuit implere sponsalia.

R Esp. Injustè tenuens implere sponsalia, in foro tam interno quàm externo ad ea complenda, seu ad contrahendum matrimonium compelli potest. In foro quidem interno seu conscientia penà omnibus existentibus in peccato, & nolentibus ab eo desistere communi, nempe per negationem Sacramentorum. Castrop. l. c. p. 8. num. 1. In foro verò externo seu judiciali per Judicem ecclesiasticum commonendus prius est, ut obligationi suæ satisfaciatur, sin minus, censuris ecclesiasticis compellendus est. Castrop. l. c. num. 2. Sanch. l. 1. d. 29. Gutt. c. 15. num. 2. Laym. l. 5. tr. 10. c. 1. num. 4. Pirh. b. t. num. 17. Pont. l. 12. c. 4. num. 2. &c. cum communi juxta e. ex lueris. it. 2. b. t. quin & incarceratione aliisque pœnis, ut Castrop. citatis iisdem